MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80101-27

AUTHOR:

AULER, AUGUST

TITLE:

DE FIDE PROCOPII...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1876

Master Negative #

91-80101-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Auler, August, 1851-
De fide Procopii Caesareensis in secvndo bello Persico Ivstiniani I. imperatoris enarrando ...
Bonnae, Typis Caroli Georgi, 1876.
48 p. 21½ cm.

Thesis. Bonn.

Volume of pamphlets

20408

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-28-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

ARNOLDO SCHAEFER

S.

Praefatio.

Anecdota a Procopio esse composita neque Alemanni neque Teuffelii, Eckhardti, Gundlachii[1]) disputationibus probatum est, ne de eorum studiis loquar, qui inde ab anno 1623 usque ad 1847 in hac quaestione non ita utiles versabantur[2]). Quam ob causam Dahnius denuo totam rem retractavit eo libro, quem de Procopio scripsit. Et cum omnes voces vocabulaque, quae in historiis et in libris de aedificiis et in anecdotis leguntur, longe diligentius quam Teuffelius atque Eckhardtus egerant, inter se comparasset, Procopium libelli auctorem esse ad liquidum perduxit. Praeterea autem anecdota post libros de aedificiis conscripta esse ostendit. Quibus rationibus cognitis atque expensis reliquum fuit, ut quis ad fidem scriptoris examinandam accederet.

Attamen cum de deo deque imperio Romano quid Procopius senserit per tria fere saecula inter viros doctos disputatam fuerit cumque Teuffelius et Dahnius summo acumine ac diligentia tam feliciter hanc quaestionem solverint, ut hac quidem in re Dahnii saepe Teuffelium sequentis sententiam amplecti non dubitem: *ea quaestio, quae est de fide scriptoris, ab omnibus fere, qui de Procopio disputaverunt, neglecta est.*

---

1) Teuffel, Procopius in Allgem. Zeitschr. f. Gesch. Herausg. v. W. A. Schmidt VIII. 1. 1847. — Eckhardt, de anecdotis Procopii Caesareensis. Regimonti 1859. — Gundlach, quaestiones Procopianae. Hanau 1861.

2) cfr. Dahn, Procopius von Caesarea. Berlin, 1865. p. 470—492.

Neque enim de fide historiarum adhuc inquisitio instituta est neque quidquam aliud quam opiniones prolatae sunt [1]). Inter anecdota autem et historias quae ratio intercederet, fere omnes ut ostenderent operam dederunt, quo factum est, ut quae *fides* illis esset habenda non tam accurate quaereretur. Longe vero amplissimam materiam Nicolaus Alemannus in notis ad historiarum arcanam congessit, qua et libelli auctoritatem confirmaret et multis locis historias et anecdota inter se consentire demonstraret. Nonnulla tamen eaque gravissima aut leviter attigit aut plane praeteriit [2]). Teuffelius quae de fide dicit anecdotorum non pluris quam coniectura doctissimi viri aestimanda est [3]). Quam vero Dahnius tulit sententiam iniusta mihi esse videtur hisce de causis: primum enim illud argumentum, quo in aestimatione eorum, quae de Theodora in anecdotis leguntur, utitur, levissimum ducendum est, tum quae de rebus a Belisario gestis Procopius narrat, ille non satis explicavit, de Iustiniano denique quod facit iudicium, cum plane cum Procopio consentiat, probandum certe Dahnio fuit [4]).

Atque universa ratio quam in rebus Iustiniani indagandis adhuc recentiores secuti sunt, uno vitio laborare mihi videtur. Neque enim dubitant, quin Procopius in historii, licet nonnulla, ne Augustos eorumque aulam offendat, silentio praetermittat verissimus auctor sit. In anecdotis quidem, cum flagitia depingat, scriptorem nimium esse putant, optime

---

1) Dissertationes Hansenii, Wer veranlasste die Berufung der Vandalen nach Afrika? Dorpat 1842, et Schulzii, Procopius de bello Vandalico lib. I. 1—8. Berlin 1871. cum quae de suo tempore Proc. fert, non attingant, praetereundas esse censui.

2) Eichelii et Isamberti cur paeterierim commentarios non est cur post Dahnium l. c. p. 474 seqq. et 494 seqq. explicem. Orellius, anecdota recognovit, emendavit, lacunas supplevit. Lipsiae 1827 notis Alemanni parum addidit.

3) Teuffel l. c. p. 58.

4) Dahn l. c. p. 367 seqq.

autem lacunas, quas in rerum enarratione historiae praebent, illis expleri neque dubitari posse, quin eae res a Procopio sine fraude traditae sint, in quibus explicandis anecdota historiis non modo non repugnent sed etiam congruant. Quam sententiam futilem esse per se intelligitur.

Cum igitur aliam viam ingrediendam esse appareat, ita ut in examinandis iis, quae Procopius de singulis rebus Iustiniani refert, non modo illius libros sed omnia alia quoque, quae de imperatore prodita sunt, adhibeamus, quaerere mihi proposui, quae fides ei in secundi belli Persici enarratione habenda sit, quo certius cognoscatur, qua ratione et administrandam et tuendam rempublicam Iustinianus curaverit.

Et ita quidem omnem disputationem instituemus, ut prima parte, quibus auctoribus usus fuerit Procopius quibusve in rebus erraverit, exponamus, parte vero secunda de ea quaestione agamus, utrum consulto a rerum veritate recesserit necne, et tertia de ingenio Procopii, res ipsas utrum perceperit ac perspexerit an minus, iudicium facere conemur.

I.

Procopius quorum auctorum fidem secutus quibusve in rebus falsus sit, ut perspiciatur, opus est videre, quibusnam rebus, quae bello Persico gerebantur, interfuerit vel interesse potuerit.

Ravenna capta quin Procopius cum Belisario Constantinopolim profectus sit atque anno 541 et 542 assessoris munere apud eum functus res ab eo in Mesopotamia gestas viderit, non est quod dubites [1]). Anno autem 542 illo de

---

1) cfr. Teuffel l. c. p. 39; Dahn l. c. p. 30.

imperio deiecto fieri non potuit, quin Procopii quoque omnis vitae ratio commutaretur, cum assessor, quem Iustiniani temporibus praesides et magistri militum sibi adiungerent, non tam magistratus muneri, quam personae, quae magistratum tenebat, adiunctus esset [1]). Quare neque Martinum, Belisarii successorem, neque alium quemquam Procopium sibi adiungere voluisse, verisimile est. Privatum autem eum in Oriente commoratum esse nego, cum, quonam modo libros tres de bello Gothico anno 550 ad finem perducere potuerit, non eluceat. Ea autem, quae de Tauro monte et Euphrate flumine adfert quibusque ad Strabonis locum alludere videtur, ex aliorum narrationibus eum accepisse puto [2]). Lazicam ante

1) Hancke, de Byzantinarum rerum scriptoribus Graecis, Lipsiae 1677 p. 148: „Consiliarium Belisario duci Iustinus imperator paulo ante mortem suam Procopium dedit.“ Teuffel l. c. p. 38 not. 3. Der passive Ausdruck *ᾑρέθη* scheint freie Wahl durch Belisar auszuschliessen. Dahn l. c. p. 15 seq. Teuffelii sententiam argumentis probare studet. Kanngiesser, des Procopius von Caesarea Geschichte seiner Zeit. Greifswald 1827 p. VII seqq. pluribus hanc rem tractat p. IX: Es war vielmehr ein von Belisarius gewählter und hiermit vom Kaiser anerkannter Rechtsgehülfe. Quam sententiam, si quae afferemus loca considaveris, rectam esse intelliges: Codex Iust. I, 51, 1 (anno 291) hi qui . . . sociari sibi consiliorum participes cupiunt, *spe praemiorum provocent eos* etc. § 7. (anno 422) *Velut castrense peculium* filiifamilias assessores etiam post patris obitum vindicent. § 12. (anno 455) Liceat omnibus iudicibus . . . consiliarios sibi *eosdem* . . . *saepius* adiungere. — Iustiniani tempore si imperator ipse assessores misisset, non opus fuisset rescripto, quod legimus l. c. § 14. Verba Novellae XVII cap. 5. *Σπεύσεις δὲ καὶ πάρεδρον καὶ εἴ τίς ἐστι τῶν περί σε, λαμβάνειν ἄνδρα χρηστὸν κτλ.* non solum ad praesides sed etiam magistros militum spectare Cod. Iust. l. c. § 11 significat. Accedit Procopii locus (I, 10) *ὅτι δὲ αὐτῷ ξυμβούλῳ ᾑρεμένῳ Βελισαρίῳ κτλ.* Quae cum ita sint illud (I, 20) *τότε δὲ αὐτοῦ ξύμβουλος ᾑρέθη Προκόπιος* aut in *αὐτῷ κτλ.* mutandum aut minus accurate a Procopio dictum esse putandum est.

2) Proc. I, p. 77 seqq. 82 seqq. Strabo 535.

librum secundum de bello Persico absolutum nunqam attigisse eum e duobus erroribus apparet [1]). De Phasi enim flumine haec dicit: *Βόας ὁ ποταμὸς ἔξεισιν ἄγχιστά πη τῶν Τζανικῆς ὁρίων ἐν Ἀρμενίοις, οἳ δὴ ἀμφὶ τὸ Φαράγγιον ᾤκηνται. καὶ . . . . χωρεῖ . . . ἄχρι ἐς χῶρον, οὗ δὴ ἐν δεξιᾷ μὲν Ἰβήρων τὰ ὅριά ἐστι, καταντικρὺ δὲ τελευτᾷ ὄρος ὁ Καύκασος . . . . ἐνταῦθα μείζων γίγνεται . . . καὶ Φᾶσις ἀντὶ Βόα τὸ ἐνθένδε καλούμενος φέρεται κτλ.* et paullo post *ἐκ δὲ Πέτρας πόλεως ἰόντι εὐθὺς πρὸς ἄνεμον νότον οἱ Ῥωμαίων ὅροι ἐκδέχονται.* Sin vero cum Belisario in Italiam profectus esset, intelligi non potest, qua ratione librum de bello Persico secundum anno 549 finire potuerit.

Quae cum ita sint, hanc sententiam maxime probandam esse puto, Procopium inde ab anno 542. Byzantii commorantem, quo se tempore in urbe fuisse ipse testatur [2]), quae ubique terrarum a Romanis gererentur, collegisse et historiae scribendae se dedisse.

Nunc vero quaerendum esse videtur, quas res oculis compertus octavo historiarum libro referre potuerit Procopius. Quem librum non ita multo post annum 553 conscriptum esse constat [3]). Et res quidem Italicae, quibus tunc temporis praeclarius nihil gestum est, minore diligentia ac tenuiore sermone, Lazicum bellum accuratissime et copiosissime descriptum esse nemo non animadvertit. Quare verisimile est Procopium rebus Lazicis omnibus si minus, tamen multis interfuisse, Narsetis autem victorias Constantinopolim demum reversum litteris mandasse.

Quae sententia corroborabitur, si et menda illa [4]) sublata

1) Proc. I, 288 seq.

2) I, p. 288.

3) Kanngiesser l. c. p. XVII ipso anno 553 librum editum esse putat, cui Eckhardtus assentitur; Teuffel l. c. p. 44 librum a. 555, Dahn, l. c. p. 37 a. 553 conscriptum, editum inter a. 554—559 dicit, quod mihi quidem persuasit.

4) Proc. I, 288 seq.

esse memineris et ad diligentiam rerumque gestarum peritiam, qua in Petrae expugnatione narranda Procopius insignis est[1]), animum intenderis. Summae autem in hac quaestione gravitatis initium libri est, quo quasi scenam Lazici belli describit.

Haec vero de Procopii auctoribus.

Arriani periplo cum usum esse libris inter se comparatis negari non potest[2]) praeterea vero Strabonis libros inspexit[3]). Multa tamen, quae nova addidit, unde sumpserit quaerendum est.

Regiones, quae a Ponto Euxino septentrionem versus sitae sunt, Procopium oculis non vidisse ex ipsius verbis apparet[4]). In rebus autem moribusque gentium, quae plagam illam colebant, describendis legatorum narrationibus, quorum ipse mentionem facit, niti videtur. Contra australem oram bene descriptam deprehendimus. Ab urbe enim Byzantio usque ad Phasis ostium Procopius Arriani ratione non habita viro expedito duorum et quinquaginta dierum vel circiter decem milium stadiorum iter esse dicit[5]). De Apsaro deinde locutus, quae Arrianus narrabat, repetit et praesentem urbis formam diligenter depingit[6]). In descriptione denique et Athenarum, qua, quae Arrianus fert, Euhemeri more mutata retractat, et earum gentium, quae intra Romanorum et Lazorum fines habitant, cum dicat: *Ἥσπερ ὁ τάφος ἐνταῦθα καὶ ἐς ἐμέ ἐστι* et *ὃ δὴ φαίνονται καὶ ἐς ἐμὲ δρῶντες* ipsum se illas vidisse significare videtur[7]).

Quibus causis commendatur coniectura intra annos 550 et 553 in Lazica Procopium commoratum esse.

---

1) II, 507 seqq.

2) cfr. Arriani periplum, c. 11 et 19. Proc. II, 463, 466. Arr. c. 4 et 5. Proc. 465. Arr. c 18, Proc. 473.

3) Strabo 498, Proc. II, 464. Strabo 504, Proc. 469.

4) II, 481.

5) Apud Arrianum octo milia trecenta quinquaginta quinque stadia inveniuntur.

6) Proc. II, 465 seq. Arr. l. c. c. 5.

7) Proc. l. c.

a. De rerum anno 540 gestarum narratione.

Ab anno 533. usque ad 540. cum Procopius in Africa et Italia versaretur, factum est ut, quae hoc tempore in Oriente Iustinianus rei publicae tuendae et administrandae causa faceret, aut plane ignoraret aut parum accurate audiret. Quod maxime in rebus Armeniorum et Alamundari, de quibus infra disputabimus, explicandis animadvertitur. Quare etiamsi optimis fontibus Procopius usus esset, fieri non potuit, ut res Orientis recte aestimaret.

Accedit autem, quod cum Belisario in Orientem profectus omnes fere urbes, quas Chosroes aggressus erat, ipse perlustrasse et quid quoque loco factum esset e provincialium ore compertum habuisse videtur. Quae sententia et rerum, quae tunc fuit, condicione confirmatur Romanis in Mesopotamia et Osrhoëna tuenda occupatis et narrandi genere, quo cum ceterarum urbium tum res Apameenses et Edessenas memorat. Cum igitur nihil ubique videret audiretve, nisi quod lacrimis dignum esset, exercitus Romani, qui Edessa et Daras urbibus tuendis res imperii servaret, paene oblitus est et Buzem comitem et ipsum imperatorem inertiae et ignaviae tecte notavit, tanquam non uterque, ut Persarum irruptionem arceret, maximopere studuisset[1]).

Quare ut res se habuerint diligentius examinandum esse puto.

Quamquam exercitus Romanus pace cum Chosroe vigente par quidem non erat, qui in aperto campo proelium cum Persis committeret, tamen in omnibus fere urbibus tantum erat praesidii, ut Chosroi de muris resistere conarentur, ut Surae et Beroeae[2]). Hierapolitanis pecunia rex oppugnatione et agrorum devastatione solvi non permisisset, nisi satis prae-

---

1) Dahn, l. c. p. 390 hanc sententiam sequitur.

2) Proc. I, 172. 182 seqq.

sidii in urbe esse intellexisset [1]). Antiochiam denique defendere Libani duces iussos fuisse verisimile est [2]).

Urbes fere omnes, quas Chosroes adiit, moenibus ita munitae erant, ut impetum hostium sustinere possent. Sura sola Persarum proditione capta est, Hierapolis fortissima erat, Circesium et loci natura et arte defendebatur [3]), Antiochiae muros Germanus maximam partem validissimos invenerat [4]). Edessa vero et Daras, ut Callinici expugnationem commodissimam praeteream, quae ut salvae essent plurimum intererat, tanta erant firmitate, ut Iustiniano imperatore Chosroes eas, quamvis operam daret, vi capere non posset. Martyropolin, Citharizum, Theodosiupolin, quae urbes in Armeniis sitae erant, non multo post pacem anno 533 cum Chosroe initam moenibus praesidiisque tutas fuisse mox ostenturus sum [5]).

Quomodo autem factum sit, ut rex Persarum tantis calamitatibus imperium afficeret, facile est intellectu. Legatum imperatoris eum, priusquam Suram oppidum delevisset, non dimitteret [6]), Romanis inopinantibus in Euphratesia aderat. Qua ratione cum velut cuneo opes Romanas exercitu suo dirumperet, Orientis dioecesis copiae in unum locum contrahi non potuerunt. Ac tanta celeritate Chosroes progressus est, ut duces Libani ante eius adventum aegre Antiochiam intrare possent [7]). Quam ut tueretur imperator, simulatque Persas irrupisse comperit, Germanum fratris filium cum trecentis militibus misit, exercitum magnum secuturum esse pollicitus [8]). Ille, licet Procopius crimen refellere studeat, officio suo defuit

1) Proc. I, 180.

2) cfr. p. 16, 63 Mesopotamiae et Armeniae qua ratione providerit Iustinianus, mox videbimus.

3) Proc. I, 171.

4) I, 178, 187.

5) I, 63.

6) I, 175.

7) I, 186.

8) I, 178 seq. 182 seq.

nomenque suum nobilissimum maculavit. Nam etsi imperator promissis non stetisset, tamen in urbe manere et timentes confirmare debuit. Hoc autem mirum mihi videtur, quod, quamquam nullo modo fieri potuit, ut exercitus Byzantio Antiochiam ante Chosrois adventum perveniret, tamen Iulianus legatus distincte prohibuit, ne urbs Augusti a Persa emeretur. Quare admodum verisimile mihi videtur, Iustinianum duces Libani Antiochiam proficisci iussisse, Germanum autem auxilium eorum desperantem urbem deseruisse.

Buzi autem ante Germani adventum et Antiochia defendenda et urbes Mesopotamiae obtinendae erant. Quod deinde, postquam urbem eum intrasse audivit, Hierapoli relicta Edessam — Daras in urbem Martinus statim post reditum ex Italia missus erat — praesidiis munivit, summopere probandum est. Oratio autem, quam Buzes habuisse dicitur, ut et militum et civium animos firmaret, non est cur vituperetur.

Sed haec hactenus. Ostendisse mihi videor, quibus vitiis Procopii rerum anno 540 gestarum descriptio laboret.

b. de Edessae obsidione.

Iam ad Edessae oppugnationis enarrationem transeamus, e qua Chosroem, ut imperium Romanum aggrederetur, et aliis rebus et religione permotum esse iure coniicias.

Anno enim 540. ut contra Edessam proficisceretur hoc maxima eum commovisse Procopius dicit [1]): *ἐνῆγε γὰρ αὐτὸν ἐς τοῦτο Χριστιανῶν λόγος καὶ ἔδακνεν αὐτοῦ τὴν διάνοιαν, ὅτι ἀνάλωτον αὐτὴν (Ἔδεσσαν) ἰσχυρίζοντο εἶναι ἐξ αἰτίας τοιᾶςδε.* Iam sequuntur, quae de Abgaro Augusti amico fama tulit. Qui podagra correptus nuntiis missis Christum rogasse dicitur, ut Edessam veniret. Quem recusasse quidem e Iudaea decedere, sanitatem vero ei promisisse. Hoc etiam addidisse Christum Edessem dicunt, urbem nunquam barbaris fore ex-

1) I, 205 seqq.

pugnatam. Quam epistolam pro munimento in portis urbis affixerunt. Urbem cur anno 544. obsederit rex, hisce verbis significatur [1]): *αὕτη δὲ ἡ ἐςβολὴ τῷ Χοσρόῃ τούτῳ οὐ πρὸς Ἰουστινιανὸν τὸν βασιλέα Ῥωμαίων πεποίηται, οὐ μὴν οὐδὲ ἐπ' ἄλλων ἀνθρώπων οὐδένα, ὅτι μὴ ἐπὶ τὸν θεὸν, ὅνπερ Χριστιανοὶ σέβονται μόνον. ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ πρώτῃ ἐφόδῳ Ἐδέσσης ἀποτυχὼν ἀπεχώρησε, πολλή τις ἐγεγόνει αὐτῷ τε καὶ μάγοις, ἅτε πρὸς τοῦ τῶν Χριστιανῶν θεοῦ ἡσσημένοις, κατήφεια. ἣν δὲ παρηγορῶν ὁ Χοσρόης ἐν τοῖς βασιλείοις Ἐδεσσηνοὺς μὲν ἀνδραποδιεῖν ἠπείλησεν πάντας ἐς τὰ Περσῶν ἤθη, τὴν δὲ πόλιν μηλόβοτον καταστήσεσθαι.* Ac si consideraris, quod Chosroes decere se pecuniam, quam Carrheni offerebant, accipere negavit, cum maximam partem Christiani non essent, sed prisco cultui addicti [2]), veram esse illam sententiam, cuius uno Procopio auctore utimur [3]), iudicabis.

Est tamen quod contra facere videatur, si quanta temperantia in Christianos et in eorum ecclesias et in sacerdotes rex fuerit, expenderimus. Antiochia, ut uno exemplo utar, cum tota deleretur, tamen ecclesiae metropolitanae parsum est, quamquam causa, ob quam legati Romani eam servari voluerunt, plane ridicula erat [4]). Foederis vero anno 562 icti ratio est habenda, cuius in fine addita sunt haec verba [5]): *ὥστε καὶ νεὼς οἰκοδομεῖν καὶ ἐπιθειάζειν σφᾶς (Χριστιανοὺς) ἀδεῶς καὶ τοὺς χαριστηρίους ὕμνους, καθὰ νενόμισται ἡμῖν, ἀκωλύτως ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ γὰρ μήτε καταναγκάζεσθαι εἰς μαγικὴν μετιέναι θρησκείαν μήτε μὴν θεοκλυτεῖν ἀκουσίως τοὺς παρὰ Μήδοις νενομισμένους θεούς, καὶ οἱ Χριστιανοὶ δὲ, ὥστε ἥκιστα καὶ οἶδε*

1) I, 267 seq.

2) Proc. I, 211.

3) Euagrius IV, 27 Procopium secutus est, Nicephorus Callisti XVII, 16 Euagrii narrationem transscripsit. De Cedreno p. 310 seqq. (ed. Bonnensis) infra dicemus.

4) Proc. I, 194.

5) Menander (hist. gr. min. ed. Dindorf. Lipsiae 1870) II, p. 24.

τολμῷεν μετατιθέναι μάγους ἐς τὴν καθ' ἡμᾶς δόξαν. ἐκράτησε δὲ ὥστε καὶ τοὺς θνήσκοντας τοῖς Χριστιανοῖς ἐπ' ἐξουσίας εἶναι θάπτειν ἐν τάφοις ᾗ νενόμισται παρ' ἡμῖν. Quae Procopii opinioni acerbissime repugnant. Praeterea vero constat Sassanidas reges ab initio non religione sed regni totius Asiae cupiditate incitatos imperio Romano adversatos esse. At quod et Artaxerxes religionis unitate ad regnum confirmandum opus esse putavit et Chosroes Mazdaci sectatoribus expulsis magorum cultui favit, his in rebus non religione sed studio rei publicae conservandae ductos eos esse, facile intelligitur.

Quae cum ita sint, quae fides Procopii narrationi habenda sit, investigemus.

Atque hoc imprimis quaerendum esse puto, utrum in rebus Abgari regis enarrandis rumores Edessenos secutus sit, an Eusebii historiam ecclesiasticam I, c. 13. Illud enim si fecit, pro certo habendum est, relatione eius omnia quasi ex Edessenorum animis atque sententiis nobis tradi.

Neque dubitari potest, quin de Abgaro et Augusto fabulam, quae apud unum Procopium legitur, fama Edessena pepererit. In iis autem examinandis, quae sequuntur, multum prodest, quod a Cedreno proditum est [1]). Et Kanngiesser quidem, qui Eusebio vel Procopio auctoribus usum esse Cedrenum opinatur, vehementer errat [2]). Quare verisimile est Syriacum quondam scriptorem, ne dicam Edessenum eum expressisse.

Procopius quidem et Cedrenus quas praebent narrationes multis in rebus inter se consentiunt. Nam apud utrumque Abgarus, simulatque Christi litteras conspexit, convalescit, apud Cedrenum exilia tantum vestigia *λέπρας* in fronte regis remanent, ne Thaddaeo miraculi conficiendi facultas proripiatur. Abgarum Procopius *ποδάγρᾳ* laborantem inducit, Cedrenus et *λέπρᾳ* nigra et *ἀρθρίτιδι χρονίᾳ*. Edessenos Christi

1) Cedrenus l. c.

2) Kanngiesser l. c. I, 234 nota.

epistolam quasi propugnaculum portis inseruisse, Procopius dicit, Cedrenus simile quoddam perhibet de salvatoris *imagine*, quam Abgarus mirabili ratione nactus erat. Uterque denique scriptor urbem expugnari non potuisse tradit, Procopius famam Edessenam secutus, Cedrenus ἀκροτελεύτιον epistolae.

Quae cum apud Eusebium non inveniantur, equidem puto et Procopium et, quem Cedrenus sequitur, auctorem ex eodem fonte narrationem derivasse, id est ex ore Edessenorum. Quam sententiam minime impugnat, quod Procopius sine dubio Eusebium [1]) et fortasse scriptores Syriacos, qui illud ἀκροτελεύτιον non habent, perlegit [2]). Chronicon autem Edessenum, quod ipso anno 540. finitum est, res, quas Procopius narrat, prorsus non attingit [3]).

Ea igitur causa, quam secutum Chosroem, ut Edessam aggrederetur, commotum esse Procopius fert, ab ipsis Edessenis ficta esse mihi videtur.

Quanta enim celeritate illis temporibus fabulae res obscuraverint, ex Euagrio [4]) cognoscitur, qui Chosroem, antequam diem supremum obiret, fidem Christianam amplexum esse dicit. Ex quo colligas quam celeriter de Edessa, urbe deo gratissima, eiusque periculis, quae fortiter sustinuerit, fama creverit. Quo factum est, ut Procopii quoque narratio eam sapiat. Urbem autem quominus oppugnaret, non casu sed a legatis Romanis, qui tum in castra advenirent, Chosroes prohibitus est.

Quibus rebus cognitis eum anno quoque 544, ut Edessam obsideret, non religione sed alio consilio ductum esse puto.

1) cfr. Proc. I, 208 miraculorum enumerationem cum Eus. hist. eccl. I, 13.

2) Vide quae apud Iacobum episcopum Saruginensem leguntur in Assemanni, Bibliotheca Orientali I, 318.

3) Assemanni, Bibl. Or. I, 388—417.

4) Euagrius, IV, 28.

Antiochia enim deleta totius orientalis dioceseos caput Edessa erat. Neque fugit Chosroem, illam si cepisset, omnem simul Romanorum per Mesopotamiam potestatem labefactatam fore. Tum enim, cum Daras omni auxilio destitueretur, huius quoque oppidi facilis futura erat expugnatio. Quae urbes semel in regis potestatem redactae levi negotio defendi poterant, cum Romanus exercitus Euphratem flumen per vim vix transgredi posset. Imperator autem si Edessam recuperaturus erat, a Lazica abducebatur, ubi imperii Romani eversionem rex moliebatur.

II.

Iam ad alteram disputationis partem accedo, qua utrum de industria Procopius rerum veritatem depravaverit, quaeritur.

a. De rebus anno 541 et 542 in Oriente gestis.

De Procopii fide in rebus anno 541 et 542 a Belisario gestis enarrandis accuratius adhuc disputatum non est.

Gibbonius [1]) enim et Mahonius [2]), illius sententiam secutus, falsa esse, quae anecdotis proferuntur, contendunt, Dahnius [3]) historias suppleri dicit anecdotis, quorum narrationem illum pro vera habere ipsa quaerendi ratio arguit.

Iam historiae quid praebeant inspiciamus [4]).

1) Gibbon, history of the decline and fall of the Roman empire. Basil, 1788 VII, 273, Note 63.

2) Mahon, life of Belisarius. London 1829. p. 310 et 312

3) Dahn, l. c. p. 344 seqq.

4) Proc. I, 215 seqq.

Exiguo praesidio relicto per loca impeditissima Chosroes prope fines Romanos iter fecit. Qui Sisaurium et Nisibin tenebant Persae impedire non potuerunt, quominus Romani Assyriam vastarent. Rumore autem, regem contra Hunnos Iberiam devastantes profectum esse Belisarius ad irruptionem impelli debuit. Invasio denique Hunnorum quorundam in Armeniam facta, qua Chosroes Romanorum animos a Lazica abduci voluit, nullius momenti fuit, cum in anecdotis demum eam Procopius leviter attingat [1]). Belisarius autem magno exercitu comparato, quamquam Chosroem in Assyria non esse per exploratores certior factus est, ne Iustiniano quidem iubente commovetur, ut longius procedat, sed in oppugnando Sisaurio castello Nisibis magnique, quod ibi erat, praesidii ratione non habita tempus terit. Castello capto cum nihil ei obstet, quominus progrediatur, castra non movet, exercitus autem morbis conficitur. Arethas, Sarazenorum regulus, quamquam Belisarii praecepto morem non gessit, inertiae crimine magister militum non liberandus erat. Quae si consideraverimus, quin talem belligerendi rationem a Belisarii consuetudine et moribus plane alienam esse, fateamur, facere non poterimus. Occasione enim Persarum puniendorum opportunissima oblata, pedem refert et haud ita multo post imperatoris iussu Byzantium proficiscitur.

Haec omnia iis, quae in historiis Procopius narrat, neque explicantur neque excusantur. Praeterea vero quibus angustiis in Lazica rex retineretur silentio praeterit [2]), ac si qua condicione orationes et Iohannis et Belisarii habitae sint consideraveris, ut nos aliquid celet, Procopium operam dedisse senties.

Iam quid in anecdotis sit [3]) videamus, ubi his verbis [4]):

1) Proc. III, 23.

2) Proc. II, 488 octavo demum historiarum libro breviter rem attingit. Anecdota III, 22 seqq.

3) III, 18 seqq.

4) III, 22.

ἔγκλημα δὲ ἀπ' αὐτοῦ ἐγένετο Βελισαρίῳ πρὸς πάντων Ῥωμαίων, ὅτι δὴ τῆς πολιτείας τὰ καιριώτατα αὐτός περὶ ἐλάσσονος πραγμάτων τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν πεποίηται Belisarius summi criminis arguitur. Neque negari potest ea, quae in historiis legimus, egregie suppleri anecdotorum narratione, quae, licet acerbitate non careat, pro odio, quo plerumque scriptor ardet, modesta eaque de causa fide digna esse videatur, praesertim cum ab iis, quae in historiis leguntur, diversa non sit [1]). Nihilominus quaerendum est, num Belisarius iis rebus, quas Procopius affert, re vera commoveri potuerit.

Et bello Vandalico et Gothico illum uxorem secum habuisse constat. Vittigi Romam obsidente inprimis securitati Antoninae providit atque in secunda expeditione cum iam in eo esset, ut Romam intraret, rumore vano oblato portum, ubi illa erat, a Gothis esse captum omni consilio privatus a conatu destitit. Quibus quae de castitate et fide erga uxorem affert Procopius quasi commentario illustrantur, ut eum summo et vehementissimo amore Antoninam amplexum fuisse colligas [2]). Itaque mirum non puto Belisarium, quod ab ea, quam maxime diligebat, sperni atque illudi se vidit, ut omnia postponeret, commotum esse. Quare Procopii sententia probanda est, illum hoc anno gloriam suam maculasse.

Quae cum ita sint, non est quod dubitemus, quin Procopius veritatem servaverit, quanto studio Theodora Antoninae amicae inimicos ulta sit, explicans, quamquam iniurias, quibus singulos affecisset, scriptor sine dubio exaggeravit, cum et in Antoninam et in Theodoram odio effrenato furat.

Neque quidquam obstitisse, quominus Belisarius, quae ab eo neglecta esse Procopius exprobrat, perfecisset, iam su-

1) III, 21 *ξυνηνέχθη γὰρ ἧπέρ μοι τὰ πρότερα δεδιήγηται, καὶ ἕτερα ἄττα ἐν τῷ στρατοπέδῳ γενέσθαι, ἅπερ αὐτὸν ἐς τὴν ἀποχώρησιν ὥρμα. τοῦτο μέντοι πολλῷ ἔτι θᾶσσον ἐνταῦθα ἀνῆγεν.*

2) Proc. III, 35 *καταστὰς ἐκτόπως εἰς αὐτὴν ἐρωτόληπτος, καὶ ταῦτα ἑξήκοντα γεγονυῖαν ἔτη*, anno 545.

pra vidimus. Verba autem, quae scriptor magistrum militum dicentem facit [1]): *ὁ γὰρ (βασιλεὺς) μακράν που ἀπολελειμμένος τῶν πρασσομένων οὐκ ἔχει τοῖς καιροῖς ἁρμόσαι τὰς πράξεις* inania esse intelligimus, cum ipsum imperatorem rerum opportunitate cognita irruptionem fieri iussisse sciamus. *Quare solus Belisarius commodorum amissorum incusandus est.*

Chosroes autem, nimia audacia ne dicam amentia egerit, quaeramus. Superioribus temporibus Romani, hostes a Mesopotamia arcere satis ducentes, rarissime in Persarum fines invaserant, tunc autem Gothorum regno destruendo occupati tantas copias in Orientem missuri esse non videbantur. Accedit quod Chosroem ad alios despiciendos pronum fuisse Persae ipsi dicunt [2]). Quo factum est, ut Romanos ultro progressuros negaret. Nihilominus expeditionem summa imprudentia susceptam esse regemque sola fortuna favente summam calamitatem effugisse iis, quae supra dixi [3]), ostendisse mihi videor.

Theodoram litteris datis, ut est in anecdotis, a Zabergane [4]), ut Chosroem ad pacem faciendam commoveret, petiisse verisimile est. At qua ratione iis ad seditionem exercitus sedandam rex uteretur, Procopium, ut solet in anecdotis, ineptissime commentitum esse puto.

Anno sequenti cum ineunte vere Chosroes imperium Romanum invaderet, ut prohiberet, ne imperator copias in Lazicam ad Petram oppugnandam mitteret [5]), magister militum per Orientem nondum Byzantio profectus erat, ut exercitus Persarum Euphratesia peragrata in Syriam irrupturus

---

1) I, 223.

2) Mirkhondi p. 359 (Silvestre de Sacy, Mémoires sur diverses antiquités de la Perse. Paris 1793).

3) p. 18.

4) apud Mirkhondi l. c. 376 Abuzurdjimihir.

5) Gibbon, l. c. 273 et Mahon, l. c. 363 Chosroem avaritia ductum esse putant, id quod rebus ipsis refellitur.

esset, cum Belisarius, quem de impetu Chosrois certior factus Iustinianus miserat, Zeugma advenit. Romani autem ex hibernis nondum egressi esse videntur. Quo factum est, ut Persa ingenti exercitu [1]) inter Mesopotamiam reliquasque Orientis dioecesis provincias immisso Belisarium Syriae reliquarumque provinciarum copias in unum locum conducere prohiberet. Qui quoniam ad regem in acie reiiciendum non valuit, ei pontem, qui in proverbio est, aureum aedificavit, Callinicum autem tueri non potuit, cum pars moenium, quae in melius restituerentur, illo tempore eversa hosti aditum facillimum praeberet.

Iudicia, quae de hac expeditione et historiae et anecdota [2]) faciunt, prorsus inter se contraria sunt. In historiis enim Belisarius amplissimis laudibus effertur, quod cum paucis ingentem Chosrois exercitum repulisset, maioremque eum apud Romanos adeptum esse gloriam Procopius dicit, quam cum Gelimerem aut Vittigin captivos Byzantium deportavit. Nihilominus idem Procopius in anecdotis haec scribere ausus est: *Βελισάριος δὲ ὃς* (Callinico capto) *οὐδὲ ὅσον ἐπισπέσθαι τοῖς πολεμίοις ἐν σπουδῇ ἔσχε, δόξαν ἀπήνεγκεν ὡς δυοῖν θάτερον, ἢ ἐθελοκακήσας ἢ ἀποδειλιάσας, αὐτοῦ ἔμεινεν.*

Etsi iure Belisarium a Procopio in anecdotis gravissimi criminis accusari supra probavimus, Callinicum amissum ut ei crimini daret, malignitate ductus est. Ipse enim locus, quo de hac re agitur, suspicionem quodammodo movere potest: Belisarius periurus fuit, Procopius inquit, unde factum est, ut deo obstante omnes, quas suscepit, expeditiones, quae enu-

---

1) Proc. I. 246 *πρὸς μυριάδων βαρβάρων πολλὰς ξὺν στρατιώταις λίαν τε ὀλίγοις οὖσι καὶ ἀτεχνῶς κατεπτηχόσι τὸν Μήδων στρατόν.*

2) I, 247. III, 29. Dahn, l. c. 382. Auch seine Misserfolge führt Procop auf die Strafe Gottes wegen anderer Verbrechen zurück und sagt, sie veranlassten (fälschlich) den Ruf der Feigheit und des Verrathes. *Immerito* Belisarium accusari Procopius non significat, ut ex illis verbis: *οὐ δὲ ὅσον ἐπισπέσθαι τοῖς πολεμίοις ἐν σπουδῇ ἔσχε κτλ.* cognosci potest.

merantur, male succederent; initium autem calamitatum fuit Callinicum amissum. Rebus autem ipsis Procopii accusatio refellitur [1]).

Sed ad historias redeamus. Quibus supprimi aliquid hisce verbis manifestum fit [2]): *καὶ Βελισάριος βασιλεῖ ἐς Βυζάντιον ἦλθε μετάπεμπτος, ἐφ᾽ ᾧ ἐς Ἰταλίαν εὐθὺς σταλήσεται, πονηρῶν ἤδη παντάπασιν τῶν ἐκείνῃ πραγμάτων Ῥωμαίοις ὄντων.* Illud *εὐθὺς* quid velit ex eo intelligitur, quod Belisarius anno demum 544 in Italiam profectus est. Hanc lacunam explent anecdota, quorum narrationi non est cur diffidam, praesertim cum a Marcellino Comite confirmetur [3]). Hoc autem patet, multa vel omnia odio Theodorae et Belisarii verbis exaggerata esse [4]).

Iam inquirendum est, verumne sit, avaritia et ulciscendi studio Iustinianum et Theodoram Belisarium et dimidia parte rei familiaris et praesidio praetorianorum privasse.

Theodora quominus perficerent Belisarius et Buzes, quod minitati erant, si prohibere studuit, non mirum fecit. Ac si consideraveris et qua audacia in Italia licet commodo imperii ille mandata imperatoris neglexerit, et Gothis regnum Italiae offerentibus, *ὡς οὐκ ἄν ποτε ζῶντος Ἰουστινιανοῦ βασιλέως ἐπιβατεύοι τοῦ τῆς βασιλείας ὀνόματος* [5]), eum respondisse, et qua levitate anno superiore domesticae communem rem post-

1) p. 20 seq.

2) Proc. I, 249.

3) Proc. III. 30. Marcellinus Comes (Migne. Patrol. Ser. I, Vol. 51, p. 945): „Ind. VIII. post consulatum Basilii anno IV. (545) . . . . Belisarius de oriente evocatus, in offensam periculumque incurrens grave et invidiae sabiacens, rursus remittitur in Italiam.“ Temporum rationes Marcellinus confudit. cfr. quae Ind. VII facta sint.

4) Iam vide, quae de Buze ferunt anecdota. Qui si tantopere aegrotasset, Iustinianus haud facile eum imperatorem fecisset. cfr. Proc. II, 415; Agath. p. 104.

5) Proc. II, 276.

posuerit, et quot quantaeque fuerint et opes et familia eius [1]), tantum virum sibi periculo fore non iniuria Augustos putasse veri speciem prae se ferre tibi videbitur. Qua sententia ducti et opibus et familia, quibus nocere posset, eum exuerunt. Avaritia permotos fuisse eos a Procopio ineptissime contendi et iis, quae diximus, manifestum fit et eo, quod divitias ingentes in commodo imperatoris Belisarius saepissime consumpsit, evincitur. Notum est enim omnibus fere proeliis hostium aciem fugatam, Italiam et Africam expugnatam paene esse a sola Belisarii familia, quae sine magnis impensis retineri non potuit. Non erat igitur, quod Augusti eius divitiis inviderent, quae ipsorum saepe victoriarum gravissimae causae exstiterant.

Quam vero inepte Procopius referat in Orientem Belisarium missum non esse, quod Antonina in illas provincias revertere recusasset, quippe ubi gravissimis iniuriis affecta esset, sed comitis stabulorum munere functum in Italiam esse profectum, intelliges, si recordatus eris, quantum periculum illo tempore Romanorum imperio Totilas minitatus fuerit.

Sed ut finem nunc faciam huius disputationis, Dahnii afferam coniecturam, qua, qui fieri potuerit, ut idem Procopius et libros de aedificiis et simul anecdota scriberet, explicare studet [2]): Dieser offene und versteckte Tadel (in historiis) erregte, vermuthe ich, den geheimen Unwillen des Kaisers und seinen Zweifel an der Ergebenheit Procops: er wollte die beste Feder seiner Zeit zu seinem Lobe verwendet sehen und befahl dem Rhetor, die kaiserlichen Bauwerke zu beschreiben, d. h. er bestellte sich bei Procop einen Panegyricus, zum Theil gleichsam zur Strafe. Procop hatte nicht den Muth, den Auftrag abzulehnen, und schrieb mit heftigstem innerem Widerstreben die Bauwerke des Kaisers. Zugleich aber fasste er den Gedanken, seinem Ingrimm Luft zu machen und dies

1) II, 282; III, 34.

2) Dahn, l. c. p. 361 seq.

unfreiwillige Lob zurückzunehmen in einer zweiten Schrift, welche aber freilich nicht jetzt veröffentlicht werden durfte, und unmittelbar, nachdem die Bauwerke geschrieben waren, schrieb er die Geheimgeschichte. Quae etiamsi speciosa sunt, tamen cur *Belisario* scriptor obtrectetur minime probant.

Equidem hanc unquam difficultatem expediri posse vix credo.

b. De indutiis anno 545 et 552 factis.

De indutiis anno 545 et 552 initis Procopius historiarum libro I, p. 281 et II, p. 506 seq. et p. 556 seqq. loquitur. Quibus locis quamquam res tempore dissociatae tractantur, tamen eas simul iudicio subiicere necesse est.

Procopii verba, quae de anni 545 indutiarum condicionibus facit, legenti dubium non erit, quin indutiae illae ad omnes Romani imperii partes pertinuerint. Quod eo magis miramur, quod Procopius neque in historiis neque in anecdotis rupti foederis mentione facta quae Chosroes in Lazica moliebatur ac praecipue bellum a Iustiniano anno indutiarum quarto renovatum describit: et Isdigunas legatus non bello Lazico sed ab Aretha et Saracenis, Romanorum foederatis, qui tempore nondum exacto Alamundarum vexassent, indutiarum fidem violatam esse queritur: rex autem Persarum, quamvis illo ipso tempore res Romanae dilabi viderentur, cur pro conatu Petrae recuperandae irruptione in Mesopotamiam facta ab imperatore poenas non sumpserit, Procopium si sequimur, non intelligimus.

Quare mihi animo perlustranti, quae alio loco exposuit, Chosroem Daras urbis expugnatione desperata, ut Lazicam ditioni suae subiungeret, contendisse [1]), Procopius aliquid silentio praeteriisse videtur. Atque cum regis consilio, quod loco, quem attulimus, explicatur, optime convenit, quod Isdi-

1) II, 489.

gunas anno 545 a Chosroe Byzantium missus apud Iustinianum de pace „nec paucis nec multis egit" [1]).

Sed indutiarum condicionibus anno 552 pactarum descriptis res ad liquidum perducetur [2]). Quarum descriptionem iam anecdotorum sapere malignitatem nemo est, qui neget. Neque enim imperatori neque Chosrois legato parcitur. Quo factum esse mihi videtur, ut minus accurate res explicetur.

Longum est Procopii verba repetere, quae si perlegeris, non habere te plurimorum Romanorum sententiam sed Procopii tibi persuasum erit.

Etiam hoc loco in Lazica quoque indutias vigere illo [3]) *καίπερ ἐπὶ Λαζικῆς βιαζόμενός τε καὶ πολεμῶν, ᾗπερ ἐρρήθη* scriptor satis dilucide significat atque eadem re, qua supra, offendimur: bellum quamquam continuari et Procopius et Agathias auctores sunt, neque Chosroes neque Iustinianus *παρασπονδήσας* appellatur.

Quibus rebus Agathias, cuius iam verbis utar, lucem affert [4]): *ὀλίγῳ δὲ*, inquit, *ἔμπροσθεν ἐκεχειρίαν ἐπεποίηντο, ἀλλ' ὅσον μόνον ἀνὰ τὴν ἕω καὶ τὰ τῆς Ἀρμενίας ὅρια ἑκατέρῳ γένει ἐσπεῖσθαι, ἀμφὶ δὲ τὴν Κολχίδα γῆν τὸν πόλεμον διαφέρειν*. Quibus indutias ad Lazicam non pertinuisse apparet. Quod ita se habuisse et scriptoris mores indolesque et res ipsae declarant. Anno demum 556 [5]) illis quoque regionibus indutiae pactae sunt, anno 562 pax inita est [6]).

Quibus rebus cognitis illud Romanorum iudicium id est

1) II, 507.
2) II, 536 seqq.
3) II, 539. Maltretus Procopii sententiam sequitur dicens argumentum libri IV belli Gothici capitis 17 (Proc. II, p. 459) esse hoc: Induitiis a Chosroe confirmatis, *nihilominus* bellum adhuc in Lazica geritur.
4) Agath. p. 103.
5) p. 275.
6) Menander, l. c. p. 10 seqq.

Procopii verum non esse intelligitur. Nam Iustiniano, qualis esset rerum Romanorum status, reputanti non erat, quod indutiarum condiciones non acciperet. Hoc enim anno cum Narsete duce bello Gothico finem facturus omnes opes in Italiam converteret, inducias, quibus Armeniis et Orientis dioecesi pax redderetur, cum libentissime pepigisse manifestum est. Exiguus autem exercitus satis erat, qui Gubaze rege auxiliante Persas universam Lazicam occupare prohiberet. Quatuor denique centenariorum summulam in quinquennium persolvere et facillimum erat neque tributum appellari potuit.

Ulla autem condicione Lazicam Persis cedere Iustiniano unquam in animo fuisse iis, quae et Agathias et Menander narrant, negatur [1]). Quin potius Persae anno 562 totam regionem omnesque, quae in Lazorum fide erant, gentes praeter Suanos Romanis restituerunt [2]).

Indutias anno 545 iisdem conditionibus, quibus anno 552 Iustinianum fecisse, ex eo quoque elucet, quod foedera superiora renovabantur et quod res Italicae maiorem curam postulabant. Itaque pronus erat ad indutias, quae ad Lazicam non pertinerent, pangendas, praesertim cum Lazorum a Romanis alienationem summo ipsis detrimento fore videret. Quam spem eum non fefellisse tempus docuit.

Res cum ita se habeant, iam quaerendum est, utrum Procopius de industria rem corruperit, an ignoratione. Lazicam indutiis esse exclusam si eum fugisset, sine dubio in anecdotis violati foederis imperatorem arguisset. Rem autem gravissimam ut Procopius nesciret, fieri non potuit. Odium denique eius, de quo iam supra diximus, nullo alio loco historiarum facilius cognoscitur.

Quae cum ita sint, consilio atque industria rem in peius eum convertisse puto.

---

1) Agath. p. 153 quinquaginta milia militum Romanorum in Lazica fuisse dicit. Menander, l. c. p. 2, frg. 3.

2) Menander, l. c. p. 15.

III.

Hoc, quod iam incipimus, capite primum inquiremus, utrum Iustiniano Persarum regnum delere in animo fuerit, an Chosroi imperium Romanum.

a. Utrum Iustinianus an Chosroes belli auctor fuerit, quaeritur.

De hac re quid Procopius iudicaverit querentibus nobis ab anecdotis est ordiendum. In quibus, ubi [1]) imperatorem non hominem sed daemonem esse ostendere studet, cum qua calamitate orbem terrarum affecerit a hominis indole plane abhorreat, bellum, quo etiamtum in Lazica Romani et Persae conterantur, illo auctore exortum esse dicit. Sed iam ipsius verba audiamus [2]): *ἦν μὲν γὰρ ὁ Χοσρόης αὐτός τε πονηρὸς τὸ ἦθος καί, ὥς μοι ἐν λόγοις εἴρηται τοῖς καθήκουσι, τὰς μὲν αἰτίας αὐτῷ τοῦ πολέμου ὁ δὲ (Ἰουστινιανὸς) παρείχετο πάσας.* Quae sententia quasi commentario illustratur hisce anecdotorum verbis: *καὶ Χοσρόῃ μέν κεντηναρίων πλῆθος ὑπὲρ τῆς εἰρήνης προέμενος, αὐτογνωμονήσας δὲ (Ἰουστινιανὸς) οὐδενὶ λόγῳ αἰτιώτατος τοῦ λελύσθαι τὰς σπονδὰς γέγονεν, Ἀλαμούνδαρόν τε καὶ Οὔννους τοὺς Πέρσαις ἐνσπόνδους σπουδάζων τε καὶ διατεινόμενος ἑταιρίζεσθαι, ὅπερ μοι ἐν λόγοις τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν οὐκ ἀπαρακαλύπτως εἰρῆσθαι δοκεῖ.* Quae omnia prae sanguinis caedisque cupiditate ab imperatore commissa sunt.

Quam sententiam, si in anecdotis solis invenires, iure ex odio scriptoris profectam esse duceres. At vero in historiis

---

1) Proc. III, 106 seqq.

2) III, 109.

ipsis imperatorem non sanguinis profusi voluptate quidem sed regni Sassanidarum evertendi causa belli auctorem fuisse Procopius contendit.

Duabus enim illis orationibus, quas Gothorum legatos et Arsacidas ante Chosroem dicentes facit, suam, ut solet, opinionem exprimit: Iustinianum eam ob causam occidentem recuperare, ut opibus eius usus regnum Persarum deleret. Cui minime repugnat, quae quasi excusaturus verba orationi Gothorum subiicit[1]): *καίτοι τοιαῦτα Ἰουστινιανῷ ἐπεκάλουν ἐγκλήματα, ἃ βασιλεῖ γενναίῳ εἰκότως ἂν ἐγκώμια εἴη, ὅτι δὴ τὴν βασιλείαν τὴν αὐτοῦ μείζω τε ποιῆσαι καὶ πολλῷ ἐπιφανεστέραν ἐν σπουδῇ ἔχοι. ταῦτα γάρ καὶ Κύρῳ ἄν τις ἐπενέγκοι τῷ Περσῶν βασιλεῖ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι*, immo studio Iustiniani imperii augendi laudato confirmatur. Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin Procopius putaverit imperatorem, ut regnum Persarum everteret, operam dedisse.

Quam sententiam Gibbonius[2]) et Mahonius[3]) secuti sunt nec non Dahnius[4]), qui acta consiliaque imperatoris acerbissime castigat.

Quid Procopius de Chosrois impetu statuat et locis supra memoratis et hoc manifestum fit[5]): *ὅπερ* (Libyam expugnatam sesse) *ἐπεὶ ἔς τε Χοσρόην καὶ Πέρσας ἦλθε δεινῶς ἤσχαλλον καὶ αὐτοῖς τὴν εἰρήνην ἐς Ῥωμαίους πεποιημένοις μετέμελεν ἤδη, ὅτι δὴ αὐτοῖς τὴν δύναμιν ἐπὶ μέγα χωρεῖν ᾔσθοντο* et alio loco[6]): *Χρόνῳ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον ὁ Χοσρόης μαθὼν ὡς καὶ Ἰταλιάν Βελισάριος Ἰουστινιανῷ προσποιεῖν ἤρξατο, οὐκέτι κατέχειν οἷός τε ἦν τὴν διάνοιαν, ἀλλὰ σκήψεις ἐπινοεῖν ἤθελεν, ὅπως δὴ λόγῳ τινὶ*

1) I, 158.

2) Gibbon VII, 267. Note 61: Procop in his public history feels and makes us feel, that Iustinian was the true author of the war bell. Pers. II, c. 2, 3.

3) Mahon l. c. p. 285.

4) Dahn l. c. p. 305 seq. 389 seqq.

5) Proc. I, 137.

6) I, 154.

εὐπρεπεῖ τὰς σπονδὰς λύσειεν. Ex universa autem belli causarum descriptione elucet, Procopium rem ita intelligi velle: Chosroem legatorum Gothicorum et Arsacidarum orationibus permotum esse, ut Iustinianum praeveniret, ne ipse praeveniretur, itaque omnia, quae fecisset, necessitate coactum fecisse et, quamquam prior arma cepisset, imperatorem bellum movisse[1]).

Cui opinioni et Gibbonius et Mahonius adstipulantur.

Sed antequam eam examinemus, necesse est locum afferamus Procopianum, qui ab iis, quae explicavimus, maxime dissidet. Pessimis enim Chosrois moribus descriptis scriptor hisce verbis pergit[2]): *Ἰουστινιανόν δὲ τὸν Ῥωμαίων αὐτοκράτορα παραδηλοῦν ἤθελεν (Χοσρόης) ἐξεπιστάμενος, ὅτι δὴ αὐτὸς αἰτιώτατος ἁπάντων εἴη.* Quae mihi reputanti duae subnascuntur sententiae inter se contrariae: Procopium hoc loco aut immerito Chosroi maledicere aut ea, quae dixerat, oblitum vera proferre. Illis autem verbis, licet in dubium vocent Procopii sinceritatem, nitendum non esse, sed aliis argumentis eius errorem refellendum censeo.

Neque vero ullus est scriptor, qui eum confirmet aut impugnet.

Iustinianus autem si Persidem expugnare voluisset, superiorum imperatorum vestigia plane dereliquisset. Quae cum omnibus aliis rebus gerendis premeret, verisimile non est, eum rationes, quibus illi rempublicam contra Persas tuiti erant, deseruisse.

Sed hoc unum egisse illum, ut imperium occidentale in suam potestatem redigeret, e rebus, quas gessit, tam manifestum est, ut pluribus exponere supervacaneum sit. Chosrois regnum destruere nunquam ei in animo fuit.

Novella enim VIII, qua universam rei publicae gubernandae rationem commutat, Tzannorum deditio, constitutio

1) Quod non impugnant, quae III, 24 narrantur.

2) Proc. I, 193.

quattuor Armeniarum, castellorum et moenium exstructiones restitutionesque ad provinciarum et administrationem et securitatem spectant. Summi autem ponderis in hac quaestione hoc mihi esse videtur, quod nulla rescriptorum praescriptione Iustiniano cognomen datur Persicus, licet Anticus, Slavicus Francicus etc. appelletur [1]). Quod timori tribui non potest, cum Franci aliaeque gentes non minore eum detrimento quam Persae potuissent afficere, sed hac ratione imperator se regnum Sassanidarum imperio Romano par, gentes autem illas, a quibus cognomen sumpsit, subiectas putare significat. Illa edicti Idibus Aprilibus anni 534 compositi verba [2]): „ut, quicquid minus est rei publicae nostrae per nos, ultimos servos suos restituat in suo nomine Deus“ ad provincias occidentales a barbaris occupatas vocare nemo est qui neget [3]). Sed ut Iustinianus regiones trans Tigrim a Diocletiano imperio additas, quas Iovianus amiserat [4]), et Iberorum tutelam [5]) recipere voluisset, Persarum regnum eversurum fuisse eum nullo modo coniici potest.

Sed iam Chosrois consilia consideremus. Quae ut melius intelligantur, opus est meminerimus Artaxerxem regni Persici recentioris conditorem Achaemenidarum successorem se esse contendisse, cuius hereditario iure totius Asiae et Aegypti dominatio esset. Quo nixus ab Alexandro Severo, ut Asia Romani cederent, postulavit [6]). Qui cum illi non obtem-

1) Tournefort, rélation d'un voyage du Levant III, p. 80, inscriptionem profert, quam Trapezunte descripsit, qua et alia et *ΠΑΡΤΙΚΟΣ* cognomen ei tribuuntur. Quod in *ΑΝΤΙΚΟΣ* mutandum esse patet.

2) Cod. Iust. I, tit. XXVII prooemium.

3) Gfrörer, Byzantinische Geschichten. Herausg. von I. B. Weiss. Graz, 1874. II. Bd. p. 316 seqq. eadem est sententia, licet ceteris in rebus Procopium acerbitate contra imperatorem superet.

4) Ammianus Marc. XXV, 7, 9.

5) Amm. Marc. XXVII, 12, 4, 16.

6) Herodianus VI, 4. *ἔλεγε δὲ ἡ πρεσβεία ὅτι δὴ κελεύει μέγας βασιλεὺς Ἀρταξέρξης ἀφίστασθαι Ῥωμαίους τε καὶ τὸν ἄρχοντα αὐτῶν Συρίας τε ἁπάσης Ἀσίας τε τῆς Εὐρώπῃ ἀντικειμένης, ἐᾶσαι δὲ ἄρχειν Πέρσας μέχρι Ἰωνίας τε καὶ Καρίας καὶ ὅσα Αἰγαίῳ καὶ Πόντῳ ἔθνη διαιρεῖται· εἶναι γὰρ αὐτὰ Περσῶν προγονικὰ κτήματα.* Dio Cassius epit. lib. LXXX, 4: *καὶ ἀπειλῶν* (*Ἀρταξέρξης*) *ἀνακτήσεσθαι πάντα ὡς καὶ προσήκοντά οἱ ἐκ προγόνων, ὅσα ποτὲ οἱ πάλαι Πέρσαι μέχρι τῆς Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἔσχον κτλ.*

perarent, et Artaxerxes ipse et posteri eius Romanis bella intulerunt. Quare si maiorum consilia Chosroes sequi voluit, bellum evitari non potuit [1]). Quibus eum stetisse ex eo elucet, quod, ut memoriae proditum est, Artaxerxem maxime imitari studuit. Quae cum ita sint, eum timore commotum esse, ut fines Romanos invaderet, verisimile non est.

Sua sponte autem imperatore non lacessente eum Romanos ex Asia eiicere molitum esse omnibus rebus, quas gessit, apparet. Quod ut efficere posset, classe sibi opus esse rex non ignorabat. Quare, ut oram maritimam occuparet, operam dedit. Syriam autem expugnare cum perdifficile esse intelligeret, ubi primum post patris obitum rerum potitus est, ad Lazicam subigendam animum intendit. Procopii vero narratione demonstratur illum sola fratris seditione coactum esse, ut anno 533 cum Romanis pacem iniret, qua Scanda et Sarapanis castella, quibus montium Meschiticorum angustiae claudebantur, imperio restituta sunt [2]). Irruptione autem anno 540 facta Syriam et Ciliciam expugnare voluit [3]), sed eas retineri non posse Mesopotamiae urbibus in tergo relictis mox expertus est. Expeditionem illam imprudentissime susceptam fuisse iudicabis, si consideraveris Chosroem propter frumenti inopiam per Euphratesiam revertere non potuisse. Itaque,

1) Malcolm, history of Persia, London, 1815 vol I, p. 94 note †, librum Artaxerxis de vita sua et rebus gestis, qui Karanameh inscribitur, Chosroes maxime adamavit. — Eutychius ed. Pockokius, II, p. 179 seqq. „In mediam etiam prolatis Azdshiri libris, qui ipsius instituta, quae observare solebat, continerent, ad eas observandas homines adegit idque scripto provinciis significavit.“

2) Proc. I, 113 seqq. Malalas, p. 472. Gibbon l. c. VII, 266.

3) Proc. I, 180.

ne quis Euphratem flumen traiicere eum prohiberet, condiciones a Iustiniano oblatas libentissime accepit. Quibus stare ei nunquam in animo fuisse ex eo colligitur, quod omnia fecit, ut imperator foedera ab eo violata esse declararet. Quod Daras urbe oppugnata demum factum est Chosroe haud invito, cum Antiochia deleta praeda ingenti potitus et rebus Romanis summum detrimentum attulisset et ipse viribus auctis bellum gesturus esset. Anno autem 541 cum Lazi ad eum deficerent, qua diligentia Petram oppidum muniret ac tueretur ex eo intelligitur, quod, quamvis montium Meschiticorum natura maxime obstaret, praesidium et commeatu et armis abunde ornavit et materiam ad naves longas aedificandas comportandam curavit. Consilium autem Lazica potiundi Chosroem iam regni sui initio cepisse supra diximus. Quae cum ita sint, Persam non timore, ne Iustinianus eum aggrederetur sed ne opportunitatem temporis praetermitteret, bellum suscepisse manifestum est.

Quaerat quispiam, quo factum sit, ut Procopius hoc non intelligeret. Mihi quidem haec coniectura verisimilis videtur scriptorem, cum occidentem expugnare imperatori in animo esse eundemque, ut gentes remotas amicitia sibi contra Percas adiungeret, operam dare videret, bello Persico secundo oriente putasse Iustinianum totum orientem sibi subacturum esse, id quod plane dementis fuisset.

Ex hoc errore principali nonnulli pendent gravissimi, de quibus iam quaestionem instituemus.

b. De Alamundaro et Hunnis.

Primum quidem imperatori iniuria crimini dat Procopius[1]) Alamundarum, ut ad Romanos descisceret, eum pecunia tentasse et Hunnos quosdam, ut irruptionem in Persidem facerent, instigasse.

1) I, 155; III, 73.

Quae de Alamundaro habet Procopius, a Petro legato apud Menandrum[1]) hisce comprobantur verbis: *ἐξεπίσταται δὲ τὸ κρεῖττον ὅτι οὐχὶ δῆτα ἐρρωμένα φρονῶν ἐς Πέρσας τὰ τοιάδε ἔπρασσεν Ἀλαμούνδαρος. τοιγαροῦν διεβεβαιοῦτο ὡς εἰ καὶ ὑμεῖς πόλεμον κινήσοιτε καθ' ἡμῶν Ἀλαμουνδάρῳ γε ἄπρακτός τε καὶ ἀνενέργητος ἔσται ἡ μάχαιρα τῆς Ῥωμαίων ἕκατι πολιτείας· ταῦτα μὲν οὖν ἐπί τινι διέμεινε χρόνῳ.* Haec a Saraceno non *tributis* sed *donis* annuis impetrata sunt, quae aliquoties intermittebantur. Nihilominus Ambrus Alamundari filius ea anno 562, cum pax inter Romanos et Persas fieret, vindicavit tributa esse dicens[2]).

Cum igitur, quae de Alamundaro a Procopio traduntur, vera sint, non est quod, quae de Hunnis afferuntur, in dubitationem vocem.

Sed summae fuisset dementiae, si Iustinianus eodem illo tempore, quo maxime, ut pax vigeret, optare debebat, Hunnis contra Persas incitatis Chosroi belli causam praebuisset. Stultum autem imperatorem fuisse solus Procopius mentitur. Quare cum de Sabiris[3]) agi videatur, quorum altera pars Romanis altera Persis favebant, hac ratione mutandam esse censeo sententiam scriptoris: Iustinianum operam dedisse ut omnes Sabiros ad se traheret[4]).

Quas res regem ad bellum Romanis inferendum minime excitasse ex iis, quae supra exposuimus, elucet. Iustinianus autem prudentissime egisse mihi videtur, quod bellum, quod evitare non potuit, quam diligentissime paravit.

Quod cum faceret, foedera nullo modo violavit, cum ullam Saracenorum mentionem in foederis instrumento factam

1) Menander l. c. p. 29.

2) Menander l. c.

3) Modo in partibus Romanorum modo Persarum inveniuntur. Proc. II, 509 Persas sequuntur; I, 74; II, 529, 548 a Chosroe pecuniam accipiunt. Agathias p. 234 Gubazen regem sequuntur pecunia commoti, Proc. I, 290, 296; Agathias 177, Romanos.

4) Proc. III, 71 *ἑταιρίζεσθαι.*

esse Procopius ipse negaret[1]). Hunni vero plane sui iuris erant.

Quae cum ita sint Alemanni[2]), qui, ut demonstret, quantum flagitium commiserit Iustinianus, ineptissime condiciones pacis anno 562 factae, quas praebet Menander, adhibet, et Gibbonii[3]), qui Procopium sequitur, sententiam futilem esse puto.

c. De rebus Armeniacis.

Res Armeniorum quod pluribus a Procopio exponuntur, iure miramur, cum neque in bello postea gesto Chosroem Armeniorum rationem habuisse neque opus fuisse illum ab eis instigari, ut bellum Romanis inferret, videamus. Atque ipsa rerum enarratione[4]) offendor, quod principio quidem de Armeniis cunctis loquitur Procopius, in fine autem Arsacidas regum Armeniorum posteros duces fuisse rebellantium audimus.

Quodsi ita, ut Procopius refert, res se habuissent, imperatorem in causa fuisse eluceret. Quare eas diligentissime examinemus necesse est.

Rerum Armeniarum ratio, cum Iustinianus imperium suscipiebat, haec erat. Tres erant Armeniae[5]): Armenia I.[6]) et II.[7]) in ripa dextra Euphratis fluminis sitae cum Bazani seu Leontopoli et Melitene capitibus, magna Armenia[8]) in sinistra Euphratis ripa, cuius metropolis erat Theodosiupolis. Ex Armenia magna austrum versus pergenti quinque, quae

1) Proc. I. 154.

2) In notis ad historiam arcanam, Proc. III, 73, 9.

3) Gibbon l. c. 267 seqq.

4) Proc. I, 158 seqq.

5) Quod e Novella VIII, anno 535 composita elucet. Non est quod anno 528 aliam descriptionem fuisse putemus.

6) Nov. VIII. Notitia § 43.

7) l. c. § 22.

8) l. c. § 23. Nov. XXXI, cap. 1. Proc. III, 246.

dicebantur, gentes occurrebant: Sophanene Sophene Anzitene Asthianene et Balabitene[1]).

Armenia I. et II. Vespasiano imperatore in provinciae formam redactae fuisse videntur[2]), gentes Diocletianus[3]), Armeniam magnam Theodosius II.[4]) imperio adiunxerat. Armenia II. et magna praesides habebant consulares[5]), Armenia I. correctorem[6]). Res gentium a satrapis administrabantur, qui rebellione facta Zenone iubente praeter satrapam Balabitenes provincias hereditario iure non amplius obtinebant, sed quemcunque imperator idoneum putabat, insignia accipiebat. In Armenia magna comes Armeniae militibus praeerat. Neque hunc neque satrapas sequebantur milites Romani, sed Armenii sub comite et satrapis soli rem bellicam subibant[7]).

Quo factum est, ut, quamvis summa fortitudine et virtute bellica essent, Armenii prohibere non possent, quominus Cabades proveheretur. Quod cum intellexisset, Iustinianus statim imperio suscepto hoc damnum tollere studebat.

Edicto imperatore Iustiniano consule (anno 528) proposito[8]) Sittas comite Armeniae sublato magister militum per tres Armenias, Pontum Polemoniacum et gentes constituitur et subduntur ei et duces harum regionum et numeri, non solum qui in praesenti constituebantur novi sed etiam, qui de praesentalibus, et quattuor numeri, qui de Orientalibus

1) Nov. XXXI, cap. 1, § 3. Proc. l. c. 247.

2) Marquardt, Röm. Staatsverwaltung I, Leipzig 1873 p. 210.

3) Ammianus Marc. XXV, 7, 9.

4) Proc. III, p. 245 seqq.

5) Nov. VIII, Not. § 22, 23. Proc. III, 246 solum comitem nominat. Novella VIII, l. c. ἄρχων Ἀρμενίας μεγάλης invenitur, quem sine dubio Theodosius II instituit. Isambert l. c. p. 759 nihilominus Procopium sequitur.

6) Nov. VIII, Not. § 43.

7) Proc. locis cit. Cod. Iust. I, tit. 29, 5.

8) Cod. Iust. l. c., annum praebent Malalas p. 479, Theophanes I, p. 268; Cedrenus I, p. 463.

et aliis agminibus segregati erant. Theodosiupolis sedes erat magistri[1]), cui hoc edicto imperium quoque, quod satrapis ademptum erat, traditum est[2]). Sittas, simulatque magistratum accepit ex indigenis scriniarios in suum officium recepit et ab imperatore impetravit, ut indigenas sciniarios militiae inservientes ex edicto eius deligere sibi liceret[3]).

Quae instituta necessaria fuisse iam supra demonstravimus, et spem, qua ductus Iustinianus Sittam delegerat, eum non fefellisse et Procopius et Ioannes Malalas testantur[4]). Nihilominus res mutatae principum Armeniorum, qui populi duces nati erant, invidiam excitasse videntur, quos auctoritatem suam a Romanis praefectis militaribus minui aegre ferre consentaneum esset. Vulgus molestis praesidiis Romanis minime favisse, mirum non est. Maxime autem iis, qui iura a maioribus accepta conservare studerent, timendum erat, ne rerum quoque civilium ratio commutaretur.

Anno 534 pace cum Chosroe firmata, Iustinianus Africa recuperata ad Gothos ex Italia expellendos animum advertit. Quod ut perficeret opus erat ut omnes vires opesque imperii orientalis colligerentur.

Itaque novella VIII. composita Iustinianus et aliis rebus institutis et vicariis Asianae et Ponticae dioecesis comitisque, cuius nomen solum remansit, Orientis potestate sublatis totam rei publicae administrandae rationem commutavit. Quod edictum multa alia ad provinciarum administrationem

---

1) Proc. III, 256.

2) Malalas p. 429 inepte pluralem habet *κόμητας*. Quos *δοῦκας* nominat, satrapae sunt gentium, cum postea duces Romani in oppidis inveniantur. Proc. III, 243.

3) Quid exprimant illa verba Malalae p. 430, *καὶ παρέσχεν αὐτῷ . . . . καὶ τοὺς ὑπάτους αὐτῶν* (ducum et comitum), *πρώην μὲν ὄντας καστρισιανοὺς στρατιώτας*, non intelligo.

4) Sittam magistrum fecisse imperatorem, quod res Armeniorum bene novisset, ex eo quod Tzanos ante hoc bellum subegit (Proc. I, pag. 78) iure colligitur.

spectantia secuta sunt, quorum paene omnium communia erant haec: Militum potestas et rerum civilium administratio plerumque in unum transferebantur praesidem, omnes praesides ius fisci diligentissime servare, eos autem, qui munera emerent vel venderent peculatusque facerent, poenis gravissimis affici iubebantur.

Edicto XV. Kal. Aug. Belisario V. C. cons. (anno 535) proposito[1]) quae constituuntur, ad Armeniam quoque pertinent. Ex Helenoponto et Ponto Polemoniaco provincia una efficitur, cui nomen datur Helenoponto. Militum imperium rerumque civilium administratio ad unum transferuntur moderatorem. Sine dubio ei et, quae Sebastopoli et Pityunte in oppidis erant, copiae et, quae Lazicam tenebant, subditae erant. Bello autem exorto Lazos eorumque socios moderatoris imperio optemperaturos esse, consentaneum erat.

Quibus rebus constitutis, magistro militum per Armenias Ponti et Lazicae imperium ademptum est.

Tali autem ratione, qualem loci natura ipsa postulare videbatur, finibus a Persarum invasionibus defendendis imperator minime providerat. Quare nova provinciarum descriptio non diutius quam unum annum duravit.

Iam ante novellam XX. editam praeses consularis Armeniae magnae inter ordinarios relatus erat[2]), XV Kalendas Apriles post consulatum Belisarii (anno 536) tres constitutiones e sacro scrinio prodierunt, quae ad res Armeniarum spectabant[3]).

Parte segregata, quae tunc dicebatur, Helenoponti, tribus Armeniis et quinque gentibus quattuor effectae sunt Armeniae, quarum

---

1) Novella XXVIII.

2) Nov. XX., cap. III *ἐπειδὴ πρότερον ἀρχὴν αὐτὴν ὀρδιναρίαν ἔμβαθμον ποιήσαντες, νῦν οὐδὲν αὐτῇ προσθέντες, εἰς τὸ τῆς ἀνθυπατείας μετηγάγομεν σχῆμα.*

3) Novella XXI., XXXI., XX., cap. 3.

Armenia I.

habebat urbes Bazanin[1]) seu Leontopolin Theodosiupolin (Armeniae magnae quondam); Satalam Nicopolin Coloniam (Armeniae I); Trapezuntem Cerasuntem (Ponti Polemoniaci). Praeterea *καὶ ὁπόσα τῆς περιοικίδος ἐστὶν αὐτῶν* id est Lazica Sebastopolis Pityus Tzannorum gens[2]), quae una cum Trapezunte et Cerasunte a Helenoponto segregatae sunt. Praeses spectabilis proconsularis sine imperio militari erat.

Armenia II.

continebat urbes Sebastiam Brisam[3]) (Armeniae I); Sebastopolin Comanam (Ponti Polemoniaci); Zelam (Helenoponti). Praeses erat consularis sine imperio. Appellationes usque ad quingentos solidos ex Armenia II. deferebantur proconsuli Armeniae I. Hunc modum quae excedebant e duabus provinciis praefecto praetorio competebant[4]).

Armenia III.

urbes habebat Melitenen Arcam Arabissum Comanam Cucussum (antea Armeniae II). Provinciae imperator comitem spectabilem, qui et rerum civilium et militarium iudex esset, praefecit. In quem ordinem, ut „virum dignum fastigio cinguli et figurae" promoveret, maxime operam dedit.

Armenia IV.

e quinque gentibus constabat. Urbes commemorantur Martyropolis et Citharizum, quas praesidia Romana sub ducibus

---

1) Proc. III, p. 256 *Βιζανά*.

2) Novella XXVIII, prooemium.

3) Novella XXXI, cap. 1. § 2 cuius olim provinciae fuerit Brisa, non invenitur. Quare cfr. Kuhn, Städtische und bürgerliche Verfassung des römischen Reichs. II, p. 243.

4) Novella XX l. c.

tenebant[1]). Praeses erat ordinarius sine imperio. Appellationes usque ad quingentos solidos comiti Armeniae III. competebant, hunc modum quae superabant, sicut in Armenia I. Byzantium deferebantur.

Praeses Armeniae I. Acacius ille erat, cuius mentionem facit Procopius.

Armenias, quae tunc dicebantur, II. et III. iam diu in provinciae formam redactas fuisse supra memoravimus, eaedemque secundum leges Romanas vixisse videntur. Longe aliter se habebant res gentium et Armeniae magnae, ubi Arsacidae usque ad illud tempus supererant.

Arsacem enim alterum novissimorum Armeniae regum de totius regni possessione inter se certantium ea conditione Romanis partem suam concessisse Procopius narrat[2]), ut in omne tempus et ipse et stirps regia et propinqui eius cum in omnibus rebus id est in agrorum publicorum possessione ad arbitrium suum tum omnium vectigalium immunes viverent. Omnes Armenii autem sequebantur veteres mores barbaros: virorum successiones erant tam parentum quam quam fratrum et alterius generis, mulierum vero nunquam. Uxores a maritis futuris emebantur ac sine aliqua dote a viris ducebantur.

Quibus vitiis ut mederetur, imperator constitutionem XXI. proposuit[3]).

Cuius inscriptonem *Περὶ Ἀρμενίων, ὥστε καὶ αὐτοὺς ἐν πᾶσι τοῖς Ῥωμαίων ἀκολουθεῖν νόμοις* spuriam maxima ex parte esse censeo hisce de causis: versio antiqua latina „de Armeniis" tantum praebet, quae praeterea graecum exemplar habet, perversissime adduntur, cum iis, quae continentur

---

1) Errat Procopius, dicens III, 243: *ἐν Ἀρμενίων ἔθνεσιν ἄρχοντα, ὃν δοῦκα καλοῦσιν κτλ.* et cum eo Isambertus l. c. p. 759.

2) Proc. III, 245 seqq., I, 163 seqq.

3) Isambert l. c. p. 757 ex huius novellae inscriptione *Ἀκακίῳ . . . τῷ ἀνθυπάτῳ Ἀρμενίας* colligit, „que l'Arménie était gouvernée par un proconsul!"

novella, minime respondeant. Tolluntur enim solae quas supra diximus consuetudines. Prooemii verba *θεσμούς τε οὐκ ἄλλους εἶναι παρ' αὐτοῖς, ἢ οὓς Ῥωμαῖοι ὀνομάζουσιν ἐτάξαμεν* librariolum imperitum, ut inscriptioni adderet illa verba, perduxisse videntur. Ceterum ex eo, quem attulimus, loco prooemii elucet constitutionem, quae illis verbis inscribi posset, editam esse. Novellam XXXI. his verbis significari nego, quae iam principio novellae XXI. commemoretur [1]). Argumentum eius autem „descriptio quattuor praesidum Armeniarum“ sententiae non respondet. Quare intercidisse constitutionem, quae huc spectet, iure colligere mihi videor. Sed ad hanc rem infra revertemur.

Exordio novellae XXI. imperator satis dilucide expressit velle se efficere, ut omnes imperii provinciae, quae usque ad eius tempora iura propria secutae essent, eodem iure ac ceterae uterentur. Quod eandem rationem secutus praecepit, qua vicariis anno 535 sublatis omnem rei publicae curam in aulam Byzantinam contraxit. Nemo non videt imperatorem hoc modo omnes orientis opes facilius colligere potuisse. In iure autem dicundo tot tantaeque exortae sunt difficultates, quae Iustinianum permoverent, ut anno 547 dioecesis Pontici vicarium restitueret [2]).

Nova, quam descripsimus, rerum constitutione ius magistri militum per Armenias commutatum est. Omnium Armeniarum praeter Armeniae III. imperium ei permissum est, ita ut Sebastopolis Pityuntis et Lazicae praesidia ei subderentur. Imperator, quo melius Persas arceret, id egisse, tabula geographica inspecta intelligitur. Praeterea Armeniae magnae incolarum animos novis rebus studentes Armeniae, quae quondam prima appellabatur, parte adiuncta quasi obruit.

---

1) Novella XXI, Prooemium . . . *ἀρχαῖς τε Ῥωμαικαῖς ἐκοσμήσαμεν, τῶν προτέρων αὐτὴν ἀπαλλάξαντες ὀνομάτων, σχήμασί τε χρῆσθαι τοῖς Ῥωμαίων συνειθίσαμεν.*

2) Edictum VIII.

Quibus rebus cognitis iam ad ea, quae a Procopio de rebus Armeniacis traduntur, redeamus.

Primo quidem me offendit, quam incomposite narret imperatorem eiusque praesides auctores fuisse Armeniorum rebellionis.

Non est quidem quod dubitemus, quin quae Procopius de Symeonis morte profert ita se habuerint. Iustinianum quidem, si eum bonis alienis donavit, iniustissime fecisse constat, imprudentissime vero, si Armenii, quorum illa bona erant, e numero erant nobilium nisi forte Arsacidarum, quos novis rebus studere non mirum esset. Meritone Acacius Amazaspen, Symeonis interfecti nepotem, cui imperator vicos avunculi concesserat quemque Armeniae magnae praefecerat, proditionis apud Iustinianum accusaverit, diiudicari non potest. Summae quidem erat imprudentiae et hodie et illis temporibus Armenio confidere. Sed utcunque res se habet, illud Acacii facinus nihil ad rebellionem exorientem contulit. Acacius igitur Amazaspe, cuius bona in fiscum redacta esse videntur, interfecto [1]) Armeniae magnae atque anno 536 Armeniae I. praeses factus est. Cuius morum descriptione quasi commentario illustrantur anecdotorum verba: *τοὺς πονηροὺς ἐπὶ τῆς ἀρχῆς κατεστήσατο* scil. *Ἰουστινιανός.*

Iam ad tributa, quae Procopius ab Acacio Armeniis imposita esse dicit, revertamur.

Regum Armeniorum familiam propinquosque vectigalia non solvisse e verbis, quae apud Chosroem facientes Procopius Arsacidas inducit [2]), elucet: *Ἀρσάκης γὰρ ὁ τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων βασιλεὺς ὕστατος ἐξέστη τῆς ἀρχῆς τῆς αὑτοῦ Θεοδοσίῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι ἑκών γε εἶναι, ἐφ' ᾧ δὴ ἅπαντες οἱ κατὰ γένος αὐτῷ μέλλοντες πάντα τὸν αἰῶνα προσήκειν τά τε ἄλλα βιοτεύσουσι κατ' ἐξουσίαν καὶ φόρου ὑποτελεῖς οὐδαμῆ ἔσονται.* Sed ex

---

1) Proc. de hac re nihil habet; magistratum solum Amazaspis ei traditum esse dicit.

2) Proc. I, p. 163. III. p. 246.

iis quae supra narrantur:[1]) Ἀρμένιοι δὲ (φέρειν γὰρ οὐκέτι αὐτὸν οἷοί τε ἦσαν) κτείνουσι ξυμφρονήσαντες τὸν Ἀκάκιον καὶ ἐς τὸ Φαράγγιον καταφεύγουσι, id solum colligere possumus, aut omnes Armenios et Arsacidas et populum superiore tempore immunes vectigalium fuisse aut omnes vectigalia solvisse, tributum vero quattuor centenariorum sibi impositum nimium duxisse, Acacium denique sua sponte pecunias conferri iussisse, collatarum autem partem tantum Constantinopolim misisse.

Iniuria Procopium Acacium tributorum, quae solus Iustinianus imperare potuit, fuisse auctorem contendere per se intelligitur. Nimia autem ea fuisse negabis, si quanta fuerit amplitudine Armenia I. et quot quantasque urbes habuerit, consideraveris.

Omnes Armeniae magnae incolae ut immunitate tributorum fruerentur, fieri non potuit, cum neque alius scriptor eius rei testis esset neque e rei publicae gubernandae ratione fuisset neque, si res ita se habuisset, Procopii verba ἐφ' ᾧ δὴ ἅπαντες οἱ κατὰ γένος αὐτῷ μέλλοντες . . . . φόρου ὑποτελεῖς οὐδαμῇ ἔσονται intelligi possent. Quare Arsacidas solos immunes fuisse puto.

Quae cum ita sint, in mentem revoces velim imperatorem ante annum 536 praesidem Armeniae magnae consularem inter ordinarios retulisse et nos iam supra demonstrasse novellam desiderari, qua Armenii iisdem legibus uti ac ceterae provinciae Romanae iubentur. Cuius constitutionis argumentum hoc fuisse, puto: praeses Armeniae magnae consularis inter ordinarios refertur, in iure dicundo leges Romanas adhiberi iubentur, omnia autem privilegia ante praesidem provinciae quidquam valere vetantur, ut est in aliis constitutionibus[2]), inprimis Arsacidarum immunitas tollitur.

Quo factum esse mihi videtur, ut tributa Armeniae I. in quattuor centenaria augerentur.

---

1) Proc. I, p. 159.
2) Novellae XXIX., cap. 4. XXX., cap. 9. CIV., cap. 3, § 1.

Quae si consideraveris, Armeniorum rebellionis Arsacidas fuisse auctores, quibus novae res maxime displicerent, vectigalia autem non fuisse magni momenti, cognoveris.

Armenii id est Arsacidae, Procopio teste, Acacio interfecto in Pharangium, quod in Persarmenia haud procul a finibus Romanis situm fuit[1]), fugerunt. Quo facto licet omnis rebellionis causa sublata fuisse videatur, tamen opus fuit, Sittam magistrum militum per Armenias mitti, qui provinciam, ut postea apparebat, per vim pacaret. Qui initio bellum remissius gessit atque, Arsacidas delenire cupiens, pollicitus est se commoturum esse imperatorem, ut vectigalium pensionem iis remitteret. Iustinianus vero Sittam vehementer reprehendit et, ut coniicere licet, postulavit ab Armeniis, ut in fidem potestatemque ipsius se permitterent.

Quod licet Procopius, ut ex tota rei enarrandae ratione elucet, vituperet, imperator, si aliter fecisset, et leges a se datas neglexisse et rei publicae curandae rationem commutasse videretur.

Arsacidae igitur, reliquo populo auxiliante exercitui Romano restiterunt. Quare illos e Pharangio profectos Persis fortasse adiuvantibus rebellionem paravisse veri est simillimum. Procopius de hac re omnino nihil tradit neque, quomodo seditio orta sit, explicat. Hoc autem silentio fit, ut imperator summa iniuria egisse videatur, cum provinciales non prius, quam exercitus Romanus adveniret, sollicitati esse videantur.

Anno 542 Arsacidae fide ab imperatore data e Perside Constantinopolim reverterunt[2]), quod cur factum sit, Procopius ignorare videtur. Postea multi eorum in bellis, quae ubique terrarum Iustinianus gerebat, stipendia meriti sunt ac multa praeclara facinora nomine suo regio digna fecerunt. Quod argumento nobis est Chosroi cordi non fuisse res eorum tueri. Anno 543 cum fines Romanos per Persarmeniam rex

---

1) Proc. I, 77 seq. 288.
2) Proc. I, p. 249.

invasurus erat, quod si fecisset, et Armeniam magnam attigisset, lues, quae tum per Aderbiganos grassabatur, et filii sui seditio longius progredi eum prohibuerunt[1].

Sed haec hactenus. Ostendisse mihi videor, res Armeniacas neque in causis fuisse, quae Chosroem ad bellum incitarent Romanis inferendum, neque a Procopio secundum veritatem esse enarratas.

d. De rebus Lazicis.

Lazorum legati quin ante Chosroem vera dixerint, dubitare non poteris, si ea, quae Procopius de Lazorum rebus narrat[2], bona fide acceperis. Manifestum vero est, minus Lazorum quam Procopii ipsius opinionem legatorum oratione proferri.

Tribus rebus Lazos, ut ad Persas desciscerent, incitatos esse dicit: 1) magnis molestissimisque Romanorum praesidiis, quae iam Iustinus imperator miserat[3]; 2) timore, ne magno eorum numero opprimerentur, rege Gubaze iam omni potestate regia privato, umbra principatus relicta[4]; 3) monopolio Petrae constituto et avaritia ducis Ioannis Tzibi, qui ei praeerat[5].

Quarum omnium calamitatum auctor videlicet imperator fuit.

Quae veran esint, cum quaerere in animo sit, historiam Lazicae inde a Iustino imperatore recolamus, necesse est.

---

1) Proc. I, p. 260. *ὁ δὲ ἱερέως ἀδελφὸς Βαλεριανῷ ἐντυχὼν λάθρα Χοσρόην ἐν μεγάλοις κακοῖς εἶναι ἔφασκε· τόν τε γάρ οἱ παῖδα τυραννίδι ἐπιθέμενον καὶ ἐπαναστῆναι καὶ αὐτὸν ὅμου ξὺν παντὶ τῷ Περσῶν στρατῷ τῇ νόσῳ ἁλῶναι.*

2) Proc. I, p. 216 seqq.

3) Proc. I, 56 seqq. 217.

4) Proc. I, 220. *τῷ μὲν γὰρ ἡμετέρῳ βασιλεῖ τὸ σχῆμα μόνον τῆς βασιλείας ἀπολιπόντες.* cf. quae de Petra feruntur I, 217.

5) Proc. l. c. et Pr. III, 115 de monopoliis quae narrantur.

Gurgenes Iberiae rex cum a Cabade patre Chosrois expulsus in Lazicam se recepisset ac bello imminente Persarum, qui erat in Iberia, exercitus irruptionem Lazicae minaretur, Romani, ut res postulavit, Scandam et Sarapanin castella, quibus fauces montium Meschiticorum defendi iam supra diximus, occupaverunt. Exercitus ab imperatore missus Irenaeo duce regionem tenebat. Quod quamvis necessitas posceret[1], nihilominus Lazi aegre ferentes Romanis, qui Scandae Sarapanique erant, victus suppeditare negligebant. Quo factum est, ut Romani castella relinquerent, quae statim a Persis occupata sunt. Quae cum postea sola seditione fratris coactus Chosroes redderet, consilium Lazicae expugnandae se habere, ostendit. Quod ne exsequeretur, ab imperatore Ioanne, Tzibo suadente Petra aedificata et reliqua Lazica praesidiis confirmata est[2]. Anno 535 Scanda et Sarapanis castella nondum erant deleta[3]. Ex quo colligo, ea post pacem anno 534 statim a Romanis denuo occupata esse, Lazos autem loca postea a Romanis iterum relicta, quae causam praebuissent diuturnae occupationis, delevisse[4]. Phasidem urbem Procopius nusquam commemorat, ex quo invalidam eam fuisse elucet. Agathias facillimam expugnatu fuisse atque anno 555 demum communitam esse, tradit[5].

Bello Italico vigente pleraque etiam Lazicae praesidia revocata esse, ex eo colligitur, quod Chosroem anno 541 exercitu irrumpentem Lazi in ripam dextram fluminis non duxerunt, ubi Rhodopolis Archaeopolis Losorium Muchiresis sitae erant urbes[6]) cum aliis de causis tum, quod copiae Romanae ibi

---

1) Agathias p. 159 quae verba facientem Aeetem inducit, nullum habent pondus.

2) Novella XXVIII prooemium. Proc. I, 218.

3) Novella c.

4) Proc. II, 526.

5) Agathias p. 182, 185.

6) Proc. II, 468 *κατὰ μὲν οὖν τὴν τῆς Εὐρώπης μοῖραν ξύμπαντα τὰ Λαζῶν τὰ οἰκία ξυμβαίνει εἶναι.* cf. pagg. 524, 527, 535.

non erant. Nam illae urbes si in manibus Romanorum fuissent, Lazi non defecissent. Praeterea si praesidium a Persis Petrae relictum non amplius mille quingentorum hominum [1]), Romanos autem, qui cum Ioanne Tzibo erant, non plures fuisse, consideraveris, primam, quam Lazi vel potius Procopius proferunt, causam inanem esse intelliges [2]).

Quae cum ita sint, Iustiniano nunquam fuisse in animo Lazicam opprimere id est in provinciae formam redigere, apparet. Gubazem autem regem omni potestate regia privatum fuisse solus Procopius narrat, factis minime confirmatur. Suo enim iure Gubazes populo suo imperat neque Lazi cum Romanis ullam expeditionem suscipiunt nisi concilio et a ducibus et a rege communi habito [3]). Perverso autem belli gerendi more commotus rex se a ducibus Romanis plane segregat, quibuscum acerbissimas gerit inimicitias et, priusquam res in meliorem statum reduxerint, aliquid contra Persas suscepturum se esse negat [4]). Quibus Agathiae verba [5]) *Τζάθης μὲν οὖν ἐς τὴν ἀρχὴν καταστὰς ἔταττεν ἕκαστα τὸ λοιπὸν καὶ διεκόσμει τὸ ὁμόφυλον ὡς αὐτῷ ἦν βουλομένῳ καὶ ὁ πάτριος ὑπηγόρευεν τρόπος* si addideris, duces Romanos regi Lazorum agendi potestatem eripuisse verisimile tibi non videbitur.

Monopoliis, quae constituit, cum toto imperio tum in Lazica imperator sibi odium conflavit, praesertim cum, quominus ab officialibus incolae fraude circumvenirentur, ille

1) Proc. I, 291. Postea quidem, cum Romanos urbem aggressuros esse sciret, Mermeroes tria milia hominum Petrae reliquit. I, 295.

2) Bello exorto Lazos a militibus Romanis premi consentaneum erat neque ad hanc rem attinet II, p. 541.

3) Proc. I, 290, II, 490 *ἐς πάγκοινον βουλευσάμενοι* ... Agathias 139 seqq.

4) Agathias l. c.

5) Agath. 172.

impedire non posset. Quare, solam hanc accusationem causa carere nego [1]).

Fieri autem non potuit, ut hac re sola incitati Lazi deficerent, cum nobiles, qui apud eos multum valebant, maiore victus pretio commoveri non possent. Ratio quae inter nobiles Lazos et Chosroem imperatoremque intercesserit, levissime a Procopio et Agathia attingitur. Procopius duos ex illis ad Persas transiisse narrat [2]), Agathias in contione, quam Gubaze rege interfecto Lazi habuerunt, duos producit Lazos nobiles, quorum alterum pro Chosroe alterum pro imperatore loquentes facit [3]). Qua ratione significat, duas nobilium factiones in Lazica fuisse, id quod in quaque terra, de qua inter duo imperia certatur, fieri solet. Chosroem autem, ut factionem sibi faceret inter nobiles, operam dedisse per se intelligitur. Accedit denique, quod „praesentibus malis homines futura praeoptare“ solent.

Quare haec coniectura plane verisimilis esse videtur, factionem Persicam apud Gubazen praevaluisse eundemque cum detrimento calamitateque summa Lazorum, ut ad Chosroem se applicaret, ab illa commotum esse. Bello autem cum vehementissimo postea Lazica vexaretur, factum est, ut Lazi, quomodo utriusque imperii tutelae se subtraherent, meditari inciperent [4]).

Ostendisse igitur hac, cuius iam finem faciam, dissertatione mihi videor, quam incaute de more atque indole Procopii viri docti adhuc iudicarent statuentes vera dicere

1) Alemannus (Proc. III, p. XVII praefationis) Iohannem Tzibum auctorem fuisse putat, ut Colchi deficerent. Cuius sententiae perversitas facile intelligitur.

2) Proc. II, 531, 541.

3) Agathias p. 154 seqq.

4) Agathias 156.

eum et voluisse et potuisse. Namque ut ommittam, quod ipse rebus male nuntiatis deceptus aliquoties erravit, gravissimas res aut consulto in peius vertit aut recte diiudicare non potuit. Sed tantum abest, ut opinor universam de fide Procopii questionem iam ad exitum adductam esse, ut hoc maxime me demonstrasse putem ea quoque, quae de aliis rebus Iustiniano imperatore gestis scriptor memoriae prodidit, diligentissime esse examinanda.

VITA.

Augustus Auler Simmeriensis natus sum die X. m. Martis a. h. s. LI. Fidei addictus sum evangelicae. Simmeriis elementis litterarum imbutus sum et progymnasii ordines tres absolvi. A. h. s. LXVI. pater me in disciplinam tradidit gymnasio Confluentino, quod etiamtum Dominici auspiciis florebat, quem virum humanissimum ceterosque praeceptores, qui tum gymnasium illud ornabant, grato animo colam. A. LXX. h. s. m. Iulii d. XXVIII. gymnasio relicto militiam capessivi atque in bello contra Francogallos stipendia feci. Confluentes reversus septem mensibus peractis testimonium maturitatis accepi. Rhenanae deinde academiae per septies senos menses cives fui. Hiemem a. LXXIV. in Italia degi. Docuerunt me Andresen Buecheler Kekulé Langen Menzel Meyer Reifferscheid Ritter Schaefer Simrock de Sybel. Ut adscriberer sodalibus seminarii historici eiusque per quinque semestria essem sodalis ordinarius, Menzelii Ritteri Schaeferi Sybelii erga me benevolentia factum est. Societatis archaeologicae participem Kekulé per ter sex menses me admisit. Denique ut interessem exercitationibus epigraphicis graecis et latinis Buecheler et Kekulé summa liberalitate concesserunt. Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago semperque habebo inprimis autem Arnoldo Schaefero, qui studia mea et consilio et re iuvans egregie de me meritus est.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Vallis apud Procopium I 77 Φαράγγιον nomine ea est, in qua Cyrus flumen oritur.

2. Galli proditione factum est, ut apud Ebraittum a. p. Chr. 251 Romani a Gothis fugarentur (aliter Bessel, Gothen in Realencyclop. von Ersch u. Gruber Sect. 75 p. 120).

3. Non vere et Gibbon (hist. of the decl. and fall VII p. 284. Basil, 1788) et Clinton (fasti Romani ad annum 522) statuerunt a. 522 Lazos Christianam fidem amplexos a Persis ad Romanos descivisse. Manifestum enim est cum Lazos iam pridem Christianorum fidei addictos fuisse, tum Iberorum reges Byzantium illo anno venisse, ne a Cabade magorum cultum sequi cogerentur (falso Dahn, Procopius v. Caes. p. 41).

4. In temporum regum Vandalicorum descriptione appendix ad Tironis Prosperi chronicon in libro Augustano (Roncalli, vetustiora Latinorum chronica I 702) fide sola digna habenda est. (Cfr. Papencordt Gesch. d. Vand. p. 128 adn. 1. Clinton l. l. ad annum 484 et 531.)

5. In Photii excerptis Ctesianis § 62 (Phot. bibl. cod. 72 p. 44, 17 Bk.) scribatur δι' ὀλίγων ἐτῶν (libri δι' ὀκτώ ἐτῶν).

6. Apud Procopium I 370 et 372 cum libris Καύκανα legendum est, non, ut Mahon (life of Belisarius p. 88) et Papencordt (l. l. p. 148, 1) statuunt, Κατάνην.

7. Decii imperatoris filii erant duo; non quattuor, quae est Tillemontii (hist. d. emp. III, 2 p. 591 sq. p. 847 sqq.) sententia.

8. Mille dromones, quos fabricari iussit Theodoricus rex (Cassiodorii Variar. l. V, 16—20), extructos omnino non esse, res bello Gothico gestae docent (aliter Manso Gesch. d. Ostgoth. Reiches in Italien p. 121 sq.).

9. Callisthenem fuisse expressum a Plutarcho in dialogo cui δαιμόνιον Σωκράτους inscribitur, falso statuit Queckius, Beiträge zur Quellenkunde Plutarchs c. II.

10. In descriptione morbi, qui Constantinopolim vexavit a. 542 Thucydidem II 48 sqq. imitatus est Procopius I p. 249 sqq.